



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica II. Post Epiphania, Euangelium Ioan. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

guarum, sed id alebant lectione & exercitatione.

Hæc exempla nos quoq; hortentur ad intentio-  
nem & curam, & ad exercitationem in omnibus do-  
nis spiritualibus, hoc est, in studijs, & in coercendis  
prauis cupiditatibus, in excitandis bonis motibus, in  
ocatione & alijs.

**D O M I N I C A T I L P O S T E P I P H A-**  
**nia, Euangeliū Ioan. 2.**

**E**T DIE TERTIA NUPTIAE FA-  
Etæ sunt in Cana Galileæ, & erat ma-  
ter Iesu ibi. Vocatus est autem & Ie-  
sus & discipuli eius ad nuptias. Et defici-  
ente uino, dicit mater Iesu ad eum, **V**inū  
non habent. dicit ei Iesus: **Q**uid mihi te-  
cum est mulier? **N**ondum uenit hora  
mea. Dicit mater eius ministris. **Q**uo-  
cunq; dixerit uobis, facite. Erant autem  
ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum  
purificationem Iudæorum, capientes sin-  
gulæ metretas binas uel ternas.

Dicit ei Iesus: **I**mplete hydrias aqua.  
Et impleuerunt eas usq; ad summum. **E**t  
dicit eis, haerite nunc, & ferte architricli.

F 5 no.

**D O M I N I C A** II.

no. Et tulerunt. Cum autem gustasset ar-  
chitrichinus aquam uinum factum , &  
non sciret, unde esset, ministri autem scie-  
bant, qui hauserant aquam , uocat spon-  
sum architrichinus, & dicit ei: Omnis ho-  
mo primum bonum uinum ponit, & cū  
inebriati fuerint , tunc id , quod deterius  
est. Tu seruasti bonum uinum usque  
nunc.

Hoc fecit initium signorum Iesu in  
Cana Galileæ. & manifestauit gloriam  
suam , & crediderunt in eum discipuli  
eius.

**Quatuor loci insignes  
sunt:**

**I** De coniugio , quod ornat sua ap-  
probatione Christus.

**II** Consolatio necessaria in coniu-  
gio.

**III** De iuuocatione.

**IV** Allegoria ecclesiæ.

**D E P R I M O.**

**N**ECESSÆ est hominibus proponi manda-  
ta dei de prohibitis libidinibus, & horribi-  
lens

Item iram qua Deus præcipue punit prohibitas libidines. Sicut inquit Paulus: Escortatores, adulteri &c. non possidebunt regnum dei. Item ad Ebreos, de castitate. Sine hac nemo deum uidebit. Item, Fornicatores & adulterios iudicabit deus.

Et poenæ cogitentur in populo dei & inter gentes. Multæ enim magnæ clades, bella & uastationes ortæ sunt ex libidinibus. Diluvij causa fuerunt libidines, post diluvium deletionis Sodomorum Numeri 25. cap. occisa **XXIIII.** millia propter stupra. Postea fere tota tribus Beniam in deleta est, propter uiolatam sacerdotis uxorem. Item David dedit gravissimas poenas adulterij.

Historiæ Gentium plurimæ sunt. Troia euersa est, Romæ reges expulsi. Athenis interficti filii Pisistrati. Philippus Macedo imperfectus est propter libidines. Periit & Alexander inter uoluptates. Lacedæmonijs deleti sunt, cum quidam stuprassent, filias hospitis, & postea interficiens. Thebanæ calamitates etiam dicuntur ortæ propter raptum Chrysippi. Et Aristoteles plurima exempla collegit in politicis, quibus admonet mutatas esse respub. propter libidines. Et natura quo magis decrescit, eo fit imbecillior. Ideo remedium diuinitus propositum magnificandum et amandum est, et fugienda causæ turpitudinis. Et si autem magnum onus est liberi & uxor,

## DOMINICA II.

ut dicitur. μεγάλη τυραννί αὐξή τένει μὴ γυναι,  
Et totum coniugium multiplicia habet impedimenta, Et multas ærumnas Et miseras : tamen ordinationi Dei parendum est. Non isputemus de suauitate huius generis uitæ: sed meminerimus esse necessarium, propter mandatum dei , quia deus horribiliter erascitur prohibitis libidinibus. Deinde cogitemus quæ sit cauſa difficultatis , scilicet peccati originis, Et tyrannis Diaboli, qui auget calamitates, Et opponit consolationem.

## SECUNDVS LOCVS.

De consolatione.

**C**VM difficultates coniugij sint poenæ peccati originis, Et in his diabolus exerceat suam se= uiciam: sciamus tamen deum non permettere diabolo , ut ordinationem diuinam prorsus deleaf, sicut conatur. Adeſt igitur deus, Et conseruat coniugium: Et ut cæteræ afflictiones in uita , ita maxime coniugium fit pijs schola exercendæ fidei, inuocatio= nis, confessionis, obedientiae, dilectionis erga cæteros homines, Et erga rempub. Quia coniugium implicat homines negotijs, parentes cupiunt tradere posteris ecclesiam Et rempub. Ideo multo magis afficiuntur cura reipub. Et ecclesiæ quam cæteri , qui nec liberos, nec coniuges habent, nisi sint summi uiri, ut Christus, Elias, Paulus. Et est pietas intelligere, quod deus ita

ita devinxerit inter se homines, ut habeamus materiam exercendae fidei, et dilectionis. Item pios opus ipsius generationis, de creatione admonet, et de praesentia dei, mirabiliter formantis foetum, impertientis uitam. Item, est immanis, qui non uult alteram partem generis humani conseruare.

His igitur, qui pie in matrimonio uersantur, hic promittitur consolatio, cum Christus donat unum sponso, id est, toto tempore coniugij adiuuat eos, despellit diabolum, a quo præcipue augentur aerumnæ coniugales.

Proponamus igitur nobis necessitatem et mandatum dei de coniugio. Item comminationes de poenis libidinum, cogitemus et consolationes coniugibus propositas, quod deus defendat suam ordinacionem, quod Christus despellat diabolum, quod uelit coniugium esse scholam exercendæ fidei, invocationis et dilectionis.

### TERTIVS,

#### De invocatione.

**I**N periculis, humano affectu cito liberari cupimus, sed interdum differtur auxilium, ut quasi recti uideamur, ibi discamus non deficere fide, etiam cum non statim exaudimur, sicut monet Christus in Parabola de iudice tarde uindicante. Eius rei hic proposita est imago. Maria petit autoritate materna,

## DOMINICA II.

ut Filius uinum efficiat, sed ille reiicit matrem, uidet  
cet admonens eam, haec mandata non pertinere ad  
maternum officium, & se non uelle ea quae ad ipsius  
uocationem pertinent, gubernari affectibus huma-  
nis. Et tamen postea facit, quod illa petiuera. Disca-  
mus igitur in iuuacione utrumque, non desatigari,  
scilicet cum differtur auxilium, & expectare ac pe-  
ter auxilium, quia Deus requirit utrumque, obedienc-  
tiam in afflictionibus, & iuuacionem.

## QVARTVS LOCVS,

Allegoria.

**P**ICTURA est ecclesia, que celebrat nuptia  
coniuium, cum docet & confitetur euange-  
lium. Et quia accedunt ingentes afflictiones &  
ingentia pericula, uidetur negligi a sponso, immo ipsa  
ecclesia cum iuuocat uidetur reiecta esse, uidetur non  
exaudita. Sed tamen exauditur & tandem donatur  
optimum uinum.

## DOMINICA TERTIA POST Epiphania, Euangelium Matth.8.

**C**V M AVTEM DESCENDISSET  
de monte, secutæ sunt eum turbæ  
multæ, Et ecce Leprosus ueniens  
adorabat

Leprosus.